

gendæ, sed Episcoporum ejusdem nominis qui Conciliis antiquis subscrip-
tint non memini.

IBERIA.

Iberes, inquit ^a Socrates, ad Pontum Euxinum habitant: suntque Colonia deducta ^a Socrates lib. i.
ab Iberibus qui Hispaniam incolunt. Aestate Constantini Christi fidem hac occasione cap. 16.
amplexi sunt, quod mulier Christiana divina providentia ab ipsis capta Reginæ filium,
& postea Reginam ipsam à gravibus morbis oratione liberavit. Cum enim hæc miracula
Christo tribueret mulier illa, de ejus fide statim Regina imò & Rex ipse edoceri voluit.
ⁱ Moxque Ecclesiā instauratā ad Constantiū Legatos miserunt, ut Episcopum & sa-
cram Clerum acciperent, in Christum se sincerè & ex animo credere affirmantes.
Hæc ex Socrate. At quis ex his non infert apud illos saltem eo tempore se-
dem Episcopalem fuisse? Confirmaturque ex ^b Balsamone, dum hæc ait: Ibe- ^b Balsamon in
riæ Episcopum honoravit Antiochenæ Synodi dispositio. Dicitur enim quod tempore Can. 22. Sy-
nod. Gen. 2.
sanctissimi Patriarchæ magnæ Antiochiaæ, Domini Petri, fuit Synodica ordinatio, qua
statutum est liberam esse ac principalem, & per se caput, Ecclesiam Iberiæ, sed ta-
men Antiocheno Patriarchæ subjectam. In quanam autem civitate sedem habuerit,
haud clare in Conciliis dicitur. Verum apud Artanissam fuisse ex hoc con-
jicio, quod præcipua hujusc Regionis Urbs fuerit; de hac Ptolem. lib. 5.
cap. 10. necnon Arrianus in suo maris Euxini Periplo; sed hujus Episcopum
nullum in Conciliis, ut verum fatear, reperi.

LAZICA.

Colchis apud Ptolemaeum lib. 5. cap. 10. regio est ad Pontum sita, quam
Procopius libro 1. Persicorum postea Lazicam dictam fuisse scribit. In
ea prædicatum fuisse Euangelium sicut in Iberia tempore Constantini ex ip-
suis Iberiæ vicinia facile conjicitur. Attamen Episcopum Phazidis hujus re-
gionis Metropolis, neminem in Conciliis legi ante Theodorum, qui in ge-
nerali 6. Phazidis Lazicæ provinciæ dicitur. Ibidemque Joannis civitatis Pe-
trarum Provinciæ Lazorum Antistitis etiam mentio fit.

Hactenus de sedibus Episcopalibus sub Patriarcha Constantinopolitano eique subditis
Metropolitanis, constitutis. Eas autem tantò difficiilius per ordinem digessimus, quod in
hac provinciis assignandis Notitiæ antiquæ, nec inter se, nec cum Ptolemaeo, nec cum
subscriptionibus Conciliorum, nec ipsæ subscriptiones Synodicae sepe numero inter se conve-
niant. Imò his situs à Ptolemaeo assignatus à Notitiis & Conciliis ita quandoque discrepat,
ut quin multis in locis, aut tabulæ illius Geographicæ aut cætera antiquitatis monu-
menta librariorum incuria depravata fuerint, dubitari non possit. Id autem licet de
hoc Patriarchatu præcipue dicatur, non tamen est quod alios à mendis similibus pro-
sus immunes asseveremus. Quid nos in tanta sententiarum varietate consilii & ordi-
nis cœperimus, si queras, nos plurium autoritatem unius sententiæ ex hoc antepo-
sus dicemus, quod in ore duorum aut trium testium stet omne verbum.

Sed & Lectorem monere haud omittendum ducimus, quod licet admodum paucæ ex
Barbaricis provinciis sedes Episcopales hic à nobis enumeratae sint, plurimæ tamen in
iis extitere. Omissionis nostræ hanc rationem proferre possumus, quod regionum, que
extra Romani Imperii limites fuere, nulla pervenerit ad nos Ecclesiastica Notitia:
ideoque has, in qua civitate primorum sæculorum Patres posuerint, ignoretur. Satis
de re tam obscura dicere nobis visum est, si omnes universi orbis Ecclesiastici, quarum
situs incertus habetur, una serie ad calcem hujus operis recensemus. Si quis perspi-
cacious visus Barbaricas ab aliis discernat, vel quarundam locum proprium dignos-
cat, haud invidebimus, imò hujus operam tanquam Notitiæ antiquæ Ecclesiæ adeo
utilem, laudabimus.